Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

contumaciam . magnanimitate qua eis procul dubio prestantior erat . mit-
tendo ad eas crebras legationes . et in epistolis fratres eos appellando . Post
susceptum imperiale nomen cum aduerteret multa legibus populi sui deesse . nam
franci duas habent leges in plurimis locis ualde diuersas . cogitauit que
deerant addere . et discrepantia unire . praua quoque ac perperam prolata
corrigere . Sed de his nichil aliud ab eo factum est . nisi quod pauca capi-
tula . et ea inperfecta legibus addidit . omnium tamen nationum que sub eius
dominatu erant iura que scripta non erant . describere ac litteris mandari fecit .
Item barbara et antiquissima carmina . quibus ueterum regum actus et bel-
la canebantur scripsit . memorieque mandauit . Inchoauit et grammaticam
patrii sermonis . Mensibus etiam iuxta propriam linguam uocabula inposu-
it . cum ante id temporis apud francos partim latinis . partim barbaris
nominibus pronunciarentur . Item uentos . xii . propriis appellationibus — -s nominibus uentorum .
insigniuit . cum prius non amplius quam uix . iiii . uentorum uocabula possent inue-
niri . et de mensibus quidem ianuarium . wintermanoth . februarium
Hornung . marcium lencimanoth . aprilem ostermanoth . maium
uuinnemanoth . Iunium hoemanoth . Iulium brachmanoth .
Augustum arammanoth . septembrem wittimanoth . octobrem uuin-
dumanoth . Nouembrem herbestmanoth . decembrem heilaga
manoth appellauit . Ventis uero hoc modo nomina inposuit . ut subsolanum
uocaret ostronuuint . eurum ostsundron . africum westsun-
dron . septentrionem nordron . euroaustrum sundrostron . zephy-
rum uestron . aquilonem nordostron . austrum sundron . chorum west-
nordon . vulturnum ostnordrun . austroafricum sudwestron .
circium nordwesten . Extremo uite sue tempore cum iam et morbo et
senectute premeretur . euocatum ad se ludewicum filium aquitanie
regem . qui solus filiorum hildegarde superat . congregatis sollempniter — Ludouicus filius successit
de toto regno francorum principibus . cunctorum consilio . consortem sibi to-
tius regni . et imperialis nominis heredem constituit . inpositoque capiti eius
diademate . imperatorem et augustum iussit appellari . Susceptum est